

VIII. De autoritate et potestate ecclesiae.<sup>147</sup>

Omnem autoritatem et potestatem ecclesiae concessam in verbo Dei nos humiliter amplectimur et exosculamur. Sed non est ferendum, quod autor libri tribuat ecclesiae autoritatem et potestatem supra verbum. Non enim potest  
 5 est autoritatem habere supra illud, a quo suam autoritatem omnem habet. Porro omnis ecclesiae verae autoritas est a verbo Dei. Quare non iudicat ecclesia de verbo Dei nec discernit scripturas veras ab adulterinis, sed per scripturas veras iudicat de adulterinis et per ipsum Dei verbum falsa dogmata  
 10 falsaque dogmata, cum verbo Dei pugnantia, per ipsius verbi autoritatem damnat. Verbum Dei iudex est, ad quod, ut ad Lydium lapidem confugiendum est, quando vera doctrina a falsa discerni debet. Ministri vero euangelii testes sunt illius, qui scripta prophetarum allegavit et apostolos verum Dei verbum a caelo delatum docuit, ni-[110:]mirum Dei et saluatoris nostri Jesu  
 15 Christi. „Vos“, inquit, „eritis mihi testes in Hierusalem.“<sup>148</sup> Quod autem Paulus inquit: „Caeteri diiudicent“,<sup>149</sup> non vult, ut id fiat autoritate humana, sed, ut discernant ex verbo Dei inter veram et falsam doctrinam. „Ad legem“, inquit Esaias, „et ad testimonium, qui non dixerit iuxta verbum hoc, non erit ei lux matutina.“<sup>150</sup> Cum igitur ecclesia vera nunquam occupauerit aut usurpauerit sibi potestatem regiam seu praetoriam, ut vocant, supra scripturam et  
 20 verbum Dei, non est acceptandus in libro primus huius articuli „locus de autoritate discernendi scripturas“,<sup>151</sup> imo neque „secundus locus de potestate interpretandi“<sup>152</sup> scripturas tolerari potest, quia nullam talem potestatem usurpat sibi vera ecclesia, sed agnoscit interpretationis donum a Deo datum  
 25 iis, qui possunt conferre scripturas, in quibus Spiritus sanctus obscuriores sententias per clariores, in aliis scripturae locis positas, exponit. Hoc Spiritus sancti lumen ecclesia veneratur, cum intelligat illud accensum esse in cordibus eorum, qui assentiuntur euangelio, tantum abest, ut potestatem interpretationis ecclesia sibi vindicare praesumat. Porro donum interpretationis non  
 30 est vel certo coetui vel ordini hominum alligatum, sed cui Deus illud pro sua voluntate donat, is conferre scripturae locos inter se potest. 1. Cor. XII: „Alii datur [111:] interpretatio sermonum, aliis discretio spirituum“<sup>153</sup> etc. „haec autem omnia operatur unus Spiritus diuidens singulis prout vult.“<sup>154</sup> Quod autem Petrus dicit: „Omnis prophetia scripturae propria interpretatione non

<sup>147</sup> Vgl. Augsburger Interim XI, 67. 69.

<sup>148</sup> Act 1,8.

<sup>149</sup> I Kor 14,29.

<sup>150</sup> Jes 8,20.

<sup>151</sup> Vgl. Augsburger Interim XI, 67.

<sup>152</sup> Vgl. Augsburger Interim XI, 67. 69.

<sup>153</sup> I Kor 12,10.

<sup>154</sup> I Kor 12,11.